


A

2.93
1111



N^o 852.

243441
Jo. Am. Comenii

GENTIS FELICITAS

Speculo exhibita iis, qui
num felices sint, & quo-
modo fieri possint, cog-
noscere velint.

Ad Serenissimum Transyl-
vaniae Principem,
GEORGIUM RACOCI.

Scripta 1654.

excusa m^o 1659.

ut videtur est ex ipso Catalogo Scriptorum
suorum. huius voluminis inserto et Regulae
Vite. annexo. p. 91.



Gens, seu Natio, ^{Gens quid} est hominum eâdem stirpe prognatorum, eodem Mundi loco (veluti communi domo, quam Patriam vocant) habitantium, eodem Lingvæ idiomate utentium, eoque iisdem communis amoris, concordiæ, & pro publico bono studii, vinculis colligatorum, multitudo.

2. Multæ sunt & variæ sub ^{Genti} cælo Gentes, omnes tamen hęc ^{cuique proprium, sibi} divinitus notatæ caractere: ^{benè velle.} Quòd quemadmodum Homines singuli, ita Nationes singulæ se ipsas amant, & sibi bone esse volunt, ad felicitatis statum mutuis sese concitantes æmulationibus.

4 GENTIS FELICITAS,

*Nisi quæ
sit degener.*

3. Degenerem esse ab indole humana oportet, si quæ Gens eò usque sui curam abjicit, ut neque infelicitatem suam nosse, neque alienâ felicitate in æmulationem commoveri, velit aut possit.

4. Felix contra, quæ quid humanæ naturæ sublimitas requirat, attendens, ad splendoris ejus fastigium sese elevare laborat.

*Quid
Gentem fa-
ciat feli-
cem, unde
discendum.*

5. Videamus igitur nos quoque, quid illud sit quod Gentem aliquam ita facit splendidam, ut jure merito felix & beata prædicari possit.

6. Conquiremus autem è divinis Scripturis, & Sapientum dictis, ipsoque communi sensu, omnes Felicitates species: eò fine, ut quantum Nos de iisdem participemus, quantumque deficiamus, faciliùs cognitò, de hiis rebus explendis salubriùs cogitare queamus.

7. Ge-

Speculo exhibita.

5

7. Generatim eas recensendo, felicem Nationem prædicamus illam, quæ I Numerosè progenerata; II Terrâ bonâ ad inhabitandum donata; III Alienigenis impermixta; IV. Vicinis bonis, & se non infestantibus cincta. V. Aut si ferociunt, insultus eorum compescere, sibi que pacem procurare gnara. VI. Domi autem in pace & concordia sese conservans. VII. Et istuc servientibus statutis & legibus bonis, pulchrè instructa. VIII. Et legum custode, Magistratu bono & sapiente, bene munita. IX. Eoque non alienigenâ, sed ex eadem stirpe prognato, & sanguinis vinculo suis juncto. X. Qui suos non servitutis jugo premat, sed in libertate conservet. XI. Et in qua Gente quisque, quod suum est agit alacriter & vividè, à nemine præpeditus. XII. Resque Oeconomica & Artificia vi-

*Felicitatis Gen-
tium.
partes, seu
gradus. 12.*

A 3

gent

6 GENTIS FELICITAS

gent inter omnes. XIII. Unde venit rerum abundantia, opesque & divitiæ, ut quisque honestè rem faciens panem suum edat, aliis ne præripiat. XIV. Et publica rerum securitas. XV. Cui si accedit bona Juventutis educatio, & humanitatis cultura, efflorescit sapientiæ quoque laude. XVI. Cultusque divinus purus & fervidus, devocans Cælo omnem divinam benedictionem. XVII. Et cui DEUS superaddat extraordinaria quoque præsentia suæ, favorisque sui, signa. XVIII. Ob quæ omnia Gens aliqua admirationi fit Gentibus aliis. Inspiciamus verò hæc particulatim.

I.
*Populi
amplitudo.*

I. Primum Felicitatis elogium ex ipsius DEI ore habemus: qui Abrahamo fideli suo, quem amicum suum vocavit, multas promittens benedictiones hanc primo posuit loco, *Faciam*

te

Speculo exhibita.

7

te in Gentem magnam (Gen. 12. 2.) *Faciam semen tuum sicut pulverem Terræ, (c. 13. 16.) Numeras stellas si potes: sic erit semen tuum (c. 15. 5.)*

9. Proximum benedictionis gradum posuit Deus in donanda Populo huic Terrâ bonâ, *fluente lacte & melle.* Quod toties illis promittens, toties laudibus extollens, toties ingratitude beneficii hujus exprobrans (pleni sunt Mosis & Prophetarum Libri) quanti velit æstimari hoc beneficii genus, satis ostendit.

II.
Terra

bona.

10. *Inhabitationem verò Terræ ab indigenis solis, citra extraneorum* *misturam, esse felicitatis partem, inde colligitur: quòd Deus populo suo Terram illam bonam tradens, non tolerare alios svasit, commiscere se illis prohibuit: uti sæpe legimus.*

III.
*Plenitudo
suis.*

II. *Vicinis populis uti amicis, non hostibus, donum esse Dei, & felicitatis partem, ex eo liquet, quòd po-*

IV.
*A vicini-
nis quies.*

A 4

pulo

8 GENTIS FELICITAS

pulo Israël promisit Deus, si in mandatis suis ambulaverint, *cobibiturum se hostes undique, & effecturum ut Populus suus habitare posset absque pavore in Terra sua.* (Lev. 26. 5.)

V.
*Armorum
dexteritas.*

12. Quòd si irruant, turbaturi quietem Populi sui, promisit suis robur, & successum armorum: *ut persequantur quinqve de nostris centum alienos, & centum de nobis decem millia eorum.* (Lev. 26. 6.) Sed & Gentiles, ignaram Dei turbam, in armorum felici successu Reipubl. felicitatem locare solitos, ex omnium Gentium historiis patet.

VI.
*Concordia
intestina.*

13. Concordiam domesticam esse felicitatis partem, quis dubitet? quùm eâ res parva crescant, discordiâ maximâ etiam dilabantur? Hinc, cui populo optimè volumus, huic pacem & quietem optamus, ut Psal. 122. 6, 7.

VII.
Leges bonæ

14. Concordiæ autem vincula

Speculo exhibita.

9

cula quam sint *Leges bonæ*, omnes & omnia in æquilibrium continentes, injurias ab innocentibus prohibentes, injurias verò inferentibus pœnas irrogantes: *planè Salus Reipubl. in legibus est.*

15. Sed quia leges quantumvis bonæ, sine interprete mutæ, sine exsequutore mortuæ, sunt: Felicitatem Genti suæ illi demum veram præstant, qui cum potestate præsunt; si sapientes, si pii, si clementes in bonos, severique in malos, fuerint.

VIII.
*Magistra-
tus bonus.*

16. Regem indigenam, illis super quos regnum exercet consanguineum, esse felicitatis in aliqua Gente partem, exinde patet, quòd Deus dilecto illi Populo suo Israël; cui optimè voluit, hoc consilii dabat, *ne unquam alterius Gentis hominem sibi Regem faceret, qui non esset frater suus.* (Deut. 17, 15.) Inter promissiones autem & benedictiones posuit, si obsequen-

IX.
*Summos
Magistra-
tus indige-
na.*

IO GENTIS FELICITAS
tes sibi fuerint, fore ut illis nemo
extraneus dominetur. (Deuter.
15. 6.)

X.
Libertas
publica.

17. Et *Libertas publica*, omnium
Ordinum, quidnâ Felicitatis pars
sit? Bonum certè *quântò communius*,
tanto melius. Melior Sol qui de die
lucet omnibus, quam Candela
lucens uni homini, aut uni do-
mui, &c.

XI.
Populi
ad omnia
vigor &
alacritas.

18. Sicut & *Alacritas corporis*
& *animi*, Genti alicui velut inna-
ta, publicus Felicitatis thesaurus
haberi debet meritò. Nam si
egestatem operatur manus remissa,
manus autem sedulorum ditat (Prov.
10. 4.) *Vult & non vult piger*, ani-
ma verò operantium impingvabitur,
(c. 13. 4.): certè ubi publica est,
& toti Genti communis, alacri-
tas, publici etiam boni successus,
& lætitia, abesse non possunt.

XII.
Artes
omnigenæ.

19. Auget Felicitatem publi-
cam, ubi *bonæ Artes* regnant, tam
Mechanicæ quàm *Liberales*. Fit
enim

In Speculo exhibita. II

enim ut mutuâ industriâ suiquè
æmulatione undiqve pellatur i-
gnavia: bono hominum ad o-
mnia utilium proventu: non to-
leratis ociosis, mendicis, & aliis
inutilibus terræ ponderibus; tan-
quam membris in Corpore vivo
mortuis, aut putridis.

20. Unde provenit *rerum a-*
bundantie: quam esse Felicitatis
partem innuit Scriptura, cum I-
fraëlitici Regni florentissimum
sub Salomone laudibus extol-
lens statum, superâsse omnes Re-
ges & Regna dicit, divitiis & sa-
pientiâ, offerentibus illi Regibus
& populis munera, vasa argentea
& aurea, & vestes, & Arma bel-
lica, & Aromata, & Eqvos, &
Mulos: nec fuisse æstimatum Ar-
gentum in diebus Salomonis,
quia ejus tanta esset abundantia
in Hierusalcm, quanta lapidum;
& Cedrorum multitudinem
quasi Sycomororum, &c &c.

XIII.
Rerum
abundan-
tia.

A 6 (1 Reg.

12 GENTIS FELICITAS

(I Reg. 10. à vers 21. &c.)

XIV.
Publica
omnium se-
curitas,

21. *Publica verò securitas quàm splendida sit in Felicitatis thesau- ro gemma, ostendit Spiritus San- ctus Salomonica dilaudans tem- pora: ubi habitabat Iuda & Israël absqve timore ullo, unus quisqve sub Vite sua, & sub Ficu sua, cunctis die- bus Salomonis (I Reg. 4. 25.)*

XV.
Juventutis
bona Edu-
catio,

22. Felicitatem quoque Gen- tis in Juventutis bona Educatione consistere patet: quia Moses, Da- vid, Salomon, aliqve pii & sa- pientes populorum Rectores in- ter summas regiminis sui curas id esse voluerunt, ut Educationi attenderent, eamqve promove- rent. Quia ut se dant prima, sic omnia: qualiter quis formatur puer, talis erit factus vir; sa- piens aut stultus, pius aut impius, &c. (Prov. 22. 6.) Multitudo au- tem sapientum salus Orbis Terrarum (Sap. 6. 26.) Et sicuti Quercus facta statumen pontis vel agge- ris

Speculo exhibita. 13

ris sustentat eum, ita semen san- ctum in aliqua Gente sustentat il- lam, Deo teste (Jes. 6. 13.) Hinc David pueris seipsum dabat Pæ- dagogum, eos informare para- tus (Psal. 34. 11.) Et Salomon se libros suos illis scribere profes- sus est (Prov. 1. 4.) Felix ergò Gens quæ Scholis bonis, & Libris bo- nis, & circa Juventutis educationem institutis aut consvetudinibus bonis, abundat.

23. Quid autem ad Gentis Felicitatem faciat Religio pura, ostendit David exclamans: Beata Gens cujus Iehova est Dominus, & Populus quem elegit in hereditatem sibi (Psal. 33. 12.) Huic enim Sol & scutum est Iehova, gratiam dans & gloriam: neqve cohibet bonum ab ambulatibus in integritate, (Psal. 84. 12.)

XVI.
Religio-
nis puritas,

24. Extraordinarium presentie Dei signum est, si cui Populo ex- orbitanti, & sibi poenas attra-

XVII.
Extraor-
dinaria
presentie
Dei signo.

14 GENTIS FELICITAS

henti, extraordinariis commo-
 nefactionibus Deus tùm iræ, si
 pergat; tùm gratiæ, si desistat,
 indicia facit. Cujusmodi sunt
 prodigia Cœlo vel Terra edita:
 & afflatu divino abrepti viri aut
 fœminæ, inusitata, & quæ supra
 hominem sunt, Dei nomine lo-
 quentes: aut aliàs viri extraordi-
 nariis dotibus, (sive consilii, sive
 roboris) pollentes, & consveta
 mala emendandi occasiones sti-
 mulosvé offerentes. Beneficium
 hoc exaggerat Deus sic popu-
 lum Israëliticum alloquens: *Ego
 suscitavi de filiis vestris Prophetas &
 de juvenibus vestris Nazareos*
 (Amos 2. 11.) Item: *Suscitabat
 Dominus vindices (Heroas) qui ve-
 hementer afflictos liberarent, de ma-
 nu vastantium eos* (Judic. 11. 16.)

25. Ultimum Felicitatis si-
 gnum est, si quam Gentem ob o-
 mnia illa bona mirentur cæteræ,
 dicentes: *Ecce populus sapiens &
 intel-*

XVIII.
 Admira-
 tio ab ex-
 straneis.

Speculo exhibita.

15

*intelligens! Gens magna, Natio gran-
 dis! quæ habet Deum tam propin-
 quantem sibi!* (Deut. 4. 6, 7.) *Bea-
 tus es Israël, quis similis tui? popule ser-
 vate per Dominum, qui scutum est au-
 xilii tui, & gladius gloriae tuæ* (Deut.
 33. 26.)

26. Hæc octodecim Felicis
 Gentis criteria, sancti Israëlitici
 populi exemplis declarata, pos-
 sent aliarum quoque majorum &
 feliciorum Gentium (Chaldeæ,
 Persicæ, Græcæ, Romanæ, &c.)
 illuminari exemplis: sed quia
 rem satis per se claram esse spero,
 nec diffundi expedit: veniamus
 eò, ut his regulis & exemplis pro
 speculo usi, nos ipsos, quàm feli-
 ces nostra in Gente simus, aut
 quantum deficiamus, intueamur.

27. Necessariò tamen in ante-
 cessum illud Poëtæ repetendum
 est, *Nihil omni ex parte beatum.*
 Nam si nihil: nec igitur Gens ul-
 la. Deficiunt pleræque pleris-
 que

*An hæc
 sufficiunt?
 Aff.*

*Defectus
 tamen in-
 terveniunt.
 ut in Gente
 Israëlitica.*

16 GENTIS FELICITAS

que istis jam dictis Felicitatis partibus: si non numero, at gradu. Ipsa Deo præ cæteris dilecta, & præ omnibus beata judicata, Gens Judaica, quantas subinde felicitatis suæ passa eclipses? Patet id, si conferatur status ejus in Ægypto, & in Deserto, & sub Judicibus, & sub diversis Regibus; jam piis et sapientibus, Davide, Salomone, Josaphate, Josia, sub quibus omnia florebant; jam impiis & stolidis, Roboamo, Manasse, Achabo, & Jesabel &c. sub quibus omnia in deterius ruebant, donec & collapsa sunt, ut nihil jam sit reliquum illius Gentis miserabilius.

*Ita alibi
hactenus.*

28. Quæ eadem varietas cæteras quoque Orbis nationes premit, ut jam surgant, jam cadant, jam splendeant, jam tenebrescant, jam felices, jam miseræ sint: prout aut Virtutes vitiis, Gnayitas ignaviæ, Sapientia

Speculo exhibita. 17

tia stoliditati &c. prævalent, vel contra: aut Deus Mundi præses (fortunæ enim & temeritati locus non est in Providentiæ regno) præmia & pœnas inter hominum filios, integrósque Populos, distribuens, hos felicitate beat, illos calamitatibus mactat.

29. Videant ergò, & sortem suam expendant, Nationes cætera, si non ignorare bona malæ suæ è re esse putant. Nobis ad Hungaram Gentem has normas adaptandi occasio est. Faxit DEUS ut bono usu.

*Accommodata hæc
18 Felicitatis
signa ad
Hungaros:*

30. Equidem nihil de ulla sub Sole Gente tam gloriosè dici potest, quod ego cumulatissimè de Te, dilecta Hungaria, dici non optem, testimonium mihi perhibente conscientia meâ in Spiritu S. Sed à votis nostris abesse nos, quiritari necesse habemus. Quod non satis fuerit ostendisse, si remedia quærimus: cause indaganda erunt, sine quarum

*Quod ab
hac Felicitatis
idea
multum
deficiant: rati-
one omnium
18 gra-
dum.*

cognitione morborum medicatio temere suscipitur, successuque nullo, aut incerto; saepe etiam maiore noxa.

I.

31. *Videamus ergo distincte; primum defectus & morbos: deinde causas: tandem Remedia.*

32. Populum esse magnum Gentem Hungaram nemo dixerit, qui eam limitibus unius Regni, nec adeo ampli, aut dense habitati, includi observaverit: nec habitare solam, sed bonam Terrae partem, si non majorem, possideri à Germanis, Slavis, Rutenis, Walachis, Turcis.

II.

33. Terram esse bonam, felicitateque cum felicissimis Europae tractibus certare, nemo negaverit. Et tamen hic etiam multi reperiuntur esurientes, fames crebra, & lues, & morbi mortalesque plerumque immaturae, ut male passim audiat terra haec, tanquam devoratrix habi-

habitatorum suorum, (Numer. 13. 33.)

34. Non à solo Hunnorum sanguine habitari, multas superesse antiqui incclatûs (Gentium Slavicarum) reliquias; multos item irrepisse aliunde, Germanos, Rutenos, Walachos, adeoque Turcas, in evidenti est. Unde nec lingvâ unâ Incolae utuntur, sed ad minimum quinâ, toto caelo à se invicem distante: ut alius alium non magis intelligat, quam in Turri Babel: nisi communi Latinâ (quae jam sexta toto genere nova est) interprete, aut si quis duas, tres, quatuorve addiderit: & nullam recte, ut fieri solet. Quae Gentium, Lingvarum, Morum confusio, barbariem quandam aut inducit aut redolet, publicamque felicitatem manifeste turbat.

III.

35. Quod Vicinos attinet, talibus cingimini undique ferè, ut per

IV.

20 GENTIS FELICITAS

per eos optatâ quiete frui rarò
detur, ob perpetuam diffidenti-
am & metum. Metum intelligo
hinc à formidata Germanorum
potentia (quod hîc non parvi
æstimari video): inde à sævis
& crebris barbaræ & crudelis
Turcicæ gentis incursionibus, al-
tero jam seculo omnia intuta
reddentibus, populum sæpe in
captivitatem abducentibus, eó-
que majore in dies vastitate ac
ruinis Terram & Gentem hanc
implentibus.

36. Cui feroci hosti ad resi-
stendum per se olim sufficere
Natio hæc visa est, feliciter totam
ejus vim sustinens, & impetum
repellens, sub Hunniadis: sed
Virtus illa bellicosæ Gentis ener-
vari se passa, auxilio habuit in-
tegro seculo Germanorum po-
tentiam. At non optato effectu:
cum & Turcæ, cum quibus am-
biguo Marte, alternisque victo-
riis

riis & cladibus toties conflicta-
tum est, profundius in Regni vi-
scera penetrârint, iisque occu-
patis Nobilitatem eò angustia-
rum redegerint, ut per extremas
tantum Regni oras, montana
Germaniæ & Poloniæ confinia
(premendo satis sese, & subdito-
rum reliquias) habitare necesse
habeant: Germani autem sive ob
nationale odium, sive ob religio-
nis diversitatem, sive alias ob
causas, quos tutari debebant ma-
gis oppressum ibant; ut nonnun-
quam vim vi opponere coacti,
ad paciscendum cum Turcis, &
pellendum hos, descendere ne-
cesse habuerint.

37. Concordiam domesticam
optare potius habetis, quàm de
illa gloriari, dilecti Hungari.
Nam si ullus sub Sole locus est,
ubi livor & invidia regnat, &
homines intestinis odiis & dissi-
diis sese aut conficiunt, aut certè
non

22. GENTIS FELICITAS

non curant, sed deserunt, hic est. Quasi ad suum tantum privatum commodum quisque, nemo ad bonum publicum, nati essent, ita se plerunque gerunt. Sapientis certè inter Vos Viri vox est, his excepta auribus: *Vix usquam Gentium publici boni minor est, atque apud nos, cura.* Et quid ergò publicum bonum undique labascere mirum?

VII.

38. Leges Vobis publicas non deesse, scio: quales autem sint, non meum fuerit pronuciare. Hoc palam est: Leges ad omnia & omnes (infimam etiam plebem, oppidanam & paganam) sese extendentes desiderari. Hinc plebs omnium ignara bruto tantum obsequio regitur, servilique sub jugo retinetur: nec cæteri satis ad leges vivere, consuetudinibus duntaxat regi, videntur.

VIII.

39. Legum Custodes quales sint, Magistratus & Judices, quàm Sa-

sapientes, & æqui bonique tenaces, non meum fuerit examinare. Audio tamen querelas, publica etiam Nobilitatis judicia ita sæpe administrari, ut innocentia haud semper inveniatur præsidium, iniquitate passim prævalente. Quod si est, publica Gentis Felicitas non exiguam sui parte laborat.

40. Reges Vestros, è medio fratrum eligi solitos, dudum amisistis: alieni Vobis dominantur. Quæ res quantum obscuret Gentis honorem, augeatque plenæ libertatum amissionis, & ad servilitatem subjugationis metum, video neminem sensatiorum esse qui non videat.

41. Imò & jam in præsentis statu, plerisque parum libero, quid non querelarum est? Violentiæ, & aliorum ab aliis oppressiones, passim regnant.

42. Nova calamitas est (quancquam

IX.

X.

XI.

24 GENTIS FELICITAS
quam vetus) quòd hìc non omnes
honestis laboribus exercentur,
pleriqve (Nobiles & ignobiles,
Viri & fœminæ, parvi & magni)
vitam otiosam & desidem amant,
& agunt, angariis & fustibus ad
operas adigendi : ut an ulla in
gente similis reperiatur ignavia,
& ad omnes res bonas torpor, in-
certum sit.

XII.

43. Unde aliud sequitur Gen-
tis dedecus, quòd Artes mechani-
cas rari indigenæ discunt ; præ-
sertim subtiliores, Metallicam,
Vitriariam, Papyraceam, Typo-
graphicam, Pictoriam, imò Fa-
briles accuratiores. Nec res Oe-
conomica satis rationabiliter ad-
ministratur : ut non solum Oppi-
da, Pagi & ædificia quæcunqve
sed & Agri, Sylvæ, Horti, Vineæ
(si cum tractibus cultiorum Gen-
tium conferantur) misera præ-
beant spectacula.

XIII.

44. De rerum abundantia
quid

quid opus? Abundamus mendi-
cis & squalore : & ex defectu sa-
lubris condituræ ciborum & po-
tuum, pallore, morbis crebris,
immaturisqve mortibus, & de-
hinc semideserta terra. Non de-
sunt quidem nobis gemmæ, au-
rum, argentumqve, sed sub ter-
ra : unde illa eruendi aliis relin-
quimus solertiam, clam palam
exercendam, ipsi per nos horum
incuriosi.

45. De publica viarum, &
sua quietè possidendi securitate,
nihil est quod citra ignominiam
dici possit. Securitas enim peni-
tùs nulla est : omnia plena foris
latrociniis, domi rapinis & furtis,
ut vix domi suæ quisquam satis
securus : qualiter vix fortè ulla
in Gente. Dolendum sanè, vici-
num Regnum talibus ataxiis ob-
sistere posse, nos non posse. De
illis enim ita historicus suus, Cro-
merus : *Sola regionum Polonia la-*

XIV.

B

troci-

trociniis caret. (In eo solùm non ad rei veritatem, quòd SOLA posuit. Nam & Svecia latrociniis publicis caret, itineráque æqvè peregrinis atque domesticis, undique tuta præstat.)

xv.

46. Educationis cura perexigua híc. Non omnes enim adhiberi culturæ, nec in omnibus, nec omnimodè, testimonio est, quòd toto in Regno, quâ ab Hungaris habitatur, nullam Vernaculam Scholam (horribile dictu, & inauditum inter Christianos alibi) ubi ad literaturam & mores exerceantur pueri, reperire est. In Latinis autem quid discitur? Omnium liberalium Artium (præter Grammaticæ & Logicæ frustula) Historiarum item, Philosophiæ, Medicinæ &c. publica ignorantia docet.

xvi.

47. Religio hac in Gente quàm lacera! Etiam ubi purior vigere putatur, quàm frigida & jeju-

jejuna omnia! Dicis ergò coli, labiisque exerceri, apud paucos in opera transire, Theologorum querelas audio: profanitasque ipsa, omnes ordines (plebem maximè) pervagata, docet. Tum & sic comparata Religio quàm periculosis exposita Idololatrarum insidiis! ut omnia videantur propinqua ruinæ: qualem vicina Regna, Antichristianam persecutionem (ob similem Religionis veræ incuriam) horrendum perpeffa, jam experiuntur.

48. Adsuntne verò signa aliqua, unde adhuc præsentiam Dei, & nostri curam, extraordinariè etiam aliquo modo, ut olim, per prodigia aliqua, aut excitatos afflatu Dei monitores, cognoscamus? Non desunt sanè, sed desunt qui illis attendent, & venire à DEO nos diligente, ideòque præmonente, agnoscant. Negant (potiùs) Jehovam, di-

xvii.

centes: *Non ipse est* (qui loquitur): *isti Prophetae sunt ventus, non est illis Verbum DEI* (Ier. 5. 12, 13.) *quia populo huic factum est cor incredulum* (vers 23.) *suppeditamusque Deo causas conqverendi, ut olim; Nazareis meis propinatis vinum, & Prophetis dicitis, Ne prophetent.* (Amos. 2. 12.)

XVIII.

49. Sumusne aliis populis, ob magnitudinem, vel bellicam virtutem, formidini? aut ob sapientiam admirationi? aut ob Dei praesentis evidentia signa venerationi? Fuimus utiqve formidabiles olim armis: Fuimus recepta Christiana Religione, & postea puriore etiam reformata, in dilectarum Deo Gentium censu: reputabamurq; admissis primùm literarum studiis, inter emergentes è Barbariei luto. Nunc autem quid? Imbelles & imbecilles facti, proculcamur. Studia sapientiae altiora negligentes, ut rudes &

& semibarbari ridemur. Deum ipsum & praesentiae ejus signa contemnentes, contemnimur. Ut non dicendum veniat quod ibi: *Beatus es Israël, quis similis tui? popule servate per Iehovam, &c.* Sed *Miser es Hungare, quis te afflictior? popule perditte per te ipsum.*

50. Ipsa enim Felicitati Tuae obstas, dilecta mihi Gens: dum non agnoscis tempus visitationis tuae. O si adhuc, vel saltem hōc adhuc tuo die, agnosceres, quae ad pacem tuam sunt? O si audire velis, si adhuc possis, consilia! Audio saepe tuos de Patriae infelicitate conqverentes, millies iterare singulare illud & patheticum: *Afflictissima Patria nostra.* Sed utinam agnoscere possitis, quàm nemo Vos affligat magis, atqve ipsi Vos, inscitae actionibus Vestris, inusitataqve quodam ad omnia excellentiora, per quae Vos perditioni eximere possentis, torpore.

*Cause cur
hic deficiat
Hungaria.*

Genera-
liter ob in-
scitiam.

51. Dei vox est : *Exscindetur populus meus, quia non est illi scientia* (Osee 4. 7.) Vox hæc DEI verificabitur in Te Hungaria, nisi agnitâ & abjectâ inscitiam, quid te perdat, & quid à perditione adhuc retrahere possit, scitè animadvertere incipias. *Perditio tua ex te, auxilium tuum in Domino* (Ose. 13. 9.) si id quærere scias. Attende igitur obsecro, quomodo te perdat inscitiam tua! sicut & antehac alias Gentes, quæ unquam perierunt, pereunt & peribunt, ob inscitiam: Deo puniente illos qui secum temerè agunt, (Lev. 26. 21.)

In specie
1.)

52. Quòd non creveris magis, nec adhuc, causa omninò est *Inscitia*, quòd nescias tractare, jam ab antiquo, Pacis aut Belli artes veras; pacem amans desidiosam, bella furiosa, quibus semper atteris & minuis te ipsam, aliquoties ad interuersionem ferè, ut Hi-
storiæ

storiæ loquuntur. In Pace autem nec res proletaria tibi rectè curatur, ut progenerentur multi: nec qui nascuntur, ut vivaces sint attenditur. Quòd non progenerentur densè filii Tui, causa est, quòd non omnes matrimonio apti contrahant & generent: hujus autem quòd artes victum quærendi, & familiam sustentandi, parùm notæ, aut etiam ob dominantium diritatem parùm liberæ. Vivunt itaque plerique more vago, vagis potius libidinibus vacantes, quàm matrimonio legitimo. Quòd autem parùm vivaces sint (raros enim hinc fenes, ad alias Gentes comparatione factâ, videas) causa videtur inordinata plerunqve diæta, quæ ab inscito donorum Dei usu venit. Et nulla usquam (quâ Hungari soli habitant) afflictæ valetudini opposita præsidia, Medici & Pharmacopæi. Quo respectu nuper ex ore

Viri cordati tristis audita est vox:
Nos hic vivimus ut jumenta, & mori-
mur ut jumenta.

II.) 53. In Terra tam felici mul-
 tos esse infelices, esurientes, pan-
 nosos, & omninò egestuosos, ea-
 dem facit *Inscitia*. Si namq; Ter-
 ra hæc coleretur scitè, alere pos-
 set incolas quadruplò plures, &
 suppeditare omnibus & singulis
 abundè omnia.

III.) 54. Quòd non sola Hunno-
 rum progenies tractus, quos in-
 sedit, insideat, causa est, quòd ob
 suam illam (quam primò tetigi)
 raritatem omnibus possidendis
 non sufficientes, aliis loca vacua
 invadendi occasionem relique-
 runt.

IV.) 55. Afflictio à Gentibus vi-
 cinis cur veniat, patebit si Libros
 Mosis & Judicum, Samuelisque
 & Regum, consuluerimus: nem-
 pe propter enormia peccata casti-
 gare Deum Gentes alias per alias.

Quem-

Quemadmodum scriptum est,
 Judic. 2. 14. *Accensa est ira Dei in*
Israëlem, ut eos traderet in manus di-
ripiendum: qui eos ceperunt & vendi-
derunt hostibus habitantibus circum
circa &c.

56. Cur autem nos deseruerit
 Virtus, ut resistere non sufficiamus
 hostibus, patet ex eodem lo-
 co, ubi (vers. 15.) dicitur: *Non*
potuerunt resistere adversariis suis, &
quòcunqve se verterunt, manus Do-
mini erat contra illos: & vehementer
afflicti sunt. Item: *Quomodo sic fu-*
gerent, nisi quia Deus suus vendidit
eos, Dominus tradidit eos? (Deut.
 32. 30.) Sed & socordia quædam
 stupenda, & incuria sui, excutit
 bellicositatem. *Felix Respublica*
quæ tempore pacis bellum cogitat, ex-
stat super Armamentarii portam
prudentissimæ Gentis Venetæ,
scriptum. Infelix ergò cui neque
belli tempore & acceptis majori-
bus semper cladibus, Virtus in

(V.

B 5 præ-

præcordia redit. Stupenda securitas oppressit nos : qui perit perit, qui capitur, capitur.

VI.) 57. Discordiarum domesticarum, simultatumque & odiorum, quæ causa nisi *Inscitia*? Non attendimus membra corporis ejusdem amoris mutui vinculis contineri : & stultè aliquem sibi privatim promittere salutem, perforatâ, aut non curatâ, communi quâ cum aliis vehitur, Navi.

VII.) 58. Si sapienter dictum est. *Ex malis moribus nascantur bonæ Leges*; insipientiæ igitur argumentum, tam corruptis moribus, infinitisque quas omnes non vident, sed palpant, & de iis queruntur, confusionibus, non tamen ad Leges emendandum & exsequendum (aut si consuetæ viæ non sufficiunt ad alias excogitandum) quemquam moveri.

VIII.) 59. Simile de Legum custodia, Judiciis & Judicibus, judicium:

Cium : *Inscitiâ* fieri, quòd tam sæpe & enormiter justitia vim patitur, innocentia opprimatur iniquitas regnet, boni metuant & gemant, mali insultent & exsultent.

60. Reges aliubi quærendi attritæ domi vires necessitatem intulerunt : non bene suffecturæ vel tutandæ majestati, vel sustinendis tanti hostis, Turcæ, impetibus, nisi junctæ integri alicujus Regis & Regni viribus.

61. Differentiarum & Violentiarum, quæ interim obtinent, non alia verior causa, quàm quòd alienigenæ dominantur, aut quòd qui ex Patriæ filiis ad clavum admittantur, ex toto se ad istorum componant arbitrium. Et quòd dum singuli privatis tantum commodis inhiare consuescunt, quisque sibi tantum fidere, aliis diffidere, & quidvis ob quidvis suspicari, & sic mentibus perpe-

tuò dissidere, consuescunt.

XI.)

62. Torporis & ignaviæ, epidemici hujus Gentis mali, incubula ipsis incubulis, hoc est, malæ Educationi, debentur: quod non ad vigorem & alacritatem, promptamque ad omnia operositatem, exerceatur juvenus. Id quod rursus ab *Inscitia* venit: quia non recogitant in motu & agilitate hominis Vitam, valetudinem, vires, opes, & omnia, consistere. Et quò quis torpidior est, eò se similiorem lapidi aut trunco reddere; quò actuosior, Soli cælesti, aut Angelo, semper se moventibus, & se motu conservantibus, aliisque sic semper servientibus.

XII.)

63. Ex ignorantia, quantum bonum in Homine sit Agilitas & Solertia, nascitur aliud malum, *Inertia*, h. e. *Artium humanarum plerarumque ignoratio*. Dum enim laborare quemque piget, & laborio-

boriosæ alicui arti se dedere (ob id solum, quia id non faciunt alii) pudet: manent omnia uti sunt, inculta, *Mentes, Manus, Lingvæ*, & dehinc quæ ab arte instructis Mentibus, Manibus, Lingvis, venire debebant, *Opera*. Ideò nimirum nihil exquisitum usquam apparet: quia nemo exquisite aliquid discit, scit, vult, potest.

64. Tenuitatis & miseræ, quâ hîc premuntur plerique, causa verissima est prædicta jam Ignavia, & Inertia. Unde enim rem faciat, qui rationes honestè rem parandi (artibus, mercaturâ, Oeconomicisque accuratis, quæ hîc non attenduntur, viis) ignorat? & qui non etiam id cogitat, in diem vivit, quicquid suppetit hodie, mox concoquit, de crastino tantum quantum aviculæ cælestes sollicitus.

(XIII.)

65. Ex quotrino fonte Ignavia, *Inertiâ, Egestate*, infelix ille pro-

XIV.

manat torrens, *furandi, rapiendi, latrocinandi, propudiosa libido*. Quia enim *Otia dant vitia*; & Ignavia inertiae juncta parit esuriam: Esuriei verò quærendum est, naturâ stimulante, remedium, quæritur: sed modis illicitis, dum ignorantur, aut fastidiuntur, liciti, per honestum aliquem laborem. Impossibile prorsus est rapinas in Populo, ubi non omnes & singuli perpetuis, honestis, spontaneis, occupantur laboribus, sisti posse.

XV.) 66. Neglectæ Universalis Ingeniorum culturæ causa fortè est, quòd nemo illius necessitatem adhuc ita ostendit, ut ad eam suscipiendam permoveret. Utinam autem vel jam saltem, occasiones offerente Deo, attendi incipiat.

XVI.) 67. Religionis adeò hîc laceratæ, jejunæ, sterilis, variè profanatae, varièque periculis expositæ causa est; quòd non reformata sit tota, non ubique, non integrè.

Re-

Reformata enim sunt exteriora ejus potiùs, quàm interiora; Dogmata potiùs & Ritus, quàm viva Pietatis praxis, eòque potenter inserviens Disciplinæ veræ vigor. Frustra post acceptam medicinam Valetudinis restitutionem jactat, cui necdum faciei debitus color, aut membris vigor, functionibusve omnibus sua rectitudo, rediit.

68. Deum extraordinariè nos (XVII.) alloquentem non audimus, quia nos sic ampliùs non alloqui nobis persuasimus: dicentes cum Judæis, *Ab antiquo apparebat mihi Dominus*: & non attendentes quid æternus hominum amator mox ibidem respondeat, *At qui dilectione perpetuâ diligo te.* (Jer. 31. 3.)

69. Cur non metuamur jam (XVIII.) inimicis; nec adeò amemur, aut curemur, amicis, causa est: quia nihil in nobis formidabile vident isti; nihil adeò amabile videre pos-

possunt, tametsi optent, hi.

70. Eheu igitur perimus verè, si nobis usque aded perit omnis felicitas! Multò verò magis, si consilium etiam, ut ejus nihil restet. Minatur enim Deus, quoties subruere vult Gentem aliquam, auferre se velle scipionem & baculum, potentem & validum, & consiliarium, & sapientem, & senem, ut non supersint, nisi pueri, non tam ætate quàm intellectu (Jes. 3. v. 1, 2, 3.) Dicendum proinde hîc: Nunquid non ultrà est sapientia in The-man? perit consilium à filiis? inutilis facta est sapientia eorum? (Jer. 49. 7.)

Remedia
Infelicitatis.

71. Nondum verò, nondum deesse consilium, quæ adhuc in nos benignitas est DEI: dummodò non desint qui audire, expendere, exsequi, possint & velint, potiùs quàm aspernari consilium Dei adversùs semetipsos (Lucæ 7. 30.) Ecce enim omnibus morbis nostris, remedia in promptu sunt, gratiâ DEI!

72. Po-

72. Populositatem Gentis promovendi efficax remedium fuerit, ut honesta matrimonia densius & sanctius frequentari jubeantur, inter plebem etiam: remissis oneribus, ob quæ multi vitam conjugalem, statùmque œconomicum, sub uno aliquo Domino fixum, ut nimis durum imaginatione concipientes, cum fugitant, & sic procreandæ soboli nullam navant operam. Prudentiâ hîc Politicâ, quæ egregiè præiverunt Romani, aliæque feliciores Gentes, opus est omnino.

73. Terra bona, sed non bene culta, remedium ab arte petendum est. Si enim Ars cum Natura certare hîc inceperit, brevi Paradisum terrestrem habituri sumus. Atque si alicujus insalubritatis accusatur, & illa potissimum ab inscita diæta, & defectu valetudinis subsidiorum, venit: sapiente tantùm aliqua Elisæo opus est, qui vasis novis (Juventuti) Sapientiæ sale

(I.)

(II.)

in-

fuso, infundat in fontes aquarum, auferatque in nomine Domini mortem & sterilitatem (2 Reg. 2. 19.)

(III.)

74. Tractus omnes Regni explebit sanguine suo Gens hac, temporis successu, si leges matrimoniales reverentius (uti jam dictum est) habebuntur. Quamquam nec per se adeò malum est, in eadem Terra habitare Nationes plures, dummodò quietè ac amicè: quandoquidem Deus dilecto & sancto Populo suo cohabitare permisit profanas Gentes, ideò ut ne invalescerent contra eos bestiae agri (Deut. 7. 22.) Incommoda, quæ à Morum & Lingvarum dissonantia veniunt, emendabit melior Morum & Lingvarum cultura.

(IV.)

75. Ne vicinos experiamur flagellum in terga nostra, efficere poterit Emendatio Vita, Resipiscentiæque à peccatis, ob quæ flagellis istis in nos utitur DEUS. Emendationem autem

tem Vitæ promovebunt, miserante nos Deo, emendata Studia & Religio.

76. Si edomanda ferociae potentissimi vicini hostis desunt vires, at non deest consilium pium & sanctum, ex inimicis faciendi amicos: per aggregatos Lupos istos, Pardos, Ursos, Leones, Dracones & Aspides, in gregem Christi, ubi mitescant (Jes. 11. 6. &c.) Hujus enim prophetiæ implendæ tempus adest, exsequendi consilii hujus Deus ipse modum ostendit potentem: modo illi rectè percipiendo, & quomodo cooperatione nostrâ promoveri postulet opus hoc intelligendo, ò aperiat Deus oculos nostros! solvat manus! cordi eximat diffidentiam!

(V.)

77. Majus propemodum est, & difficilius de reducendis domi in concordiam & unanimiorem ipsismet animis nostris concipere spem: adeò in pravam diffidendi & dissidendi consuetudinem

(VI.)

dinem induruimus. Sed potens est Deus dare nobis cor unum, & viam unam, sicuti promisit (Jer. 32. 39.) si videbit resipiscere nos serio: Opusque hoc Dei rationalius fuerit à nobis susceptum, quam omnia ferè adhuc: ubi velut in Babylone confusi fuimus lingvis, conceptibus, actionibus, ut intelligere non possemus mutuo.

(VII.) 78. *Leges publicæ salutis publicas melius constitui nihil prohibet, si à propitio nobis Deo Salomonem aliquem, qui per Sapientiam regnet, impetraverimus.*

(VIII.) 79. *Aut certè, si Leges jam receptæ bonæ sunt (nam si quid ibi deest vel aberrat, id suppletur & emendatur à Legibus Dei) ut administratio earum bona quoque sit sperari poterit, si Iosaphatum aliquem exoraverimus à DEO: qui constitutis ubique judiciis, exerceri ea jubeat cum timore Dei, & diligentia, non tanquam judi-*

judicia hominum, sed DEI. (2 Chron. 19. 6, 7.)

80. *Regia Sceptra redire posse ad aliquem, qui sit è medio fratrum suorum (juxta ordinationem Dei, Deut. 17. 15.) non est res humani consilii. Solus Deus est, qui Gedeones, Iephtas, Davides, Judas Machabaos, Constantinos & heroas scilicet, Populi sui ab alieno jugo vindices, excitare potest. Orandum hinc (si jugum premit) cum Mose: Mitte Domine quem missurus es (Exod. 4. 13.) & observandum, annon fortè jam voluntatis suæ aliqua det indicia? Sed attentè, piè, cum metu Dei! ne humana prudentia Divinæ se opponat Sapientiæ. Quemadmodum plerunque fit, dum quis eorum quos vocat Deus, suis viribus diffidit, Deo autem fidere trepidat: ut Moses in educendo è servitute Ægyptiaca populo: Gedeon per trecentos suorum profligaturus centena hominum milia:*

46 GENTIS FELICITAS

lia: *David* adolescentulus straturus colosseum Goliathum &c.

(X.) 81. *Tale ergo nacta caput Gens H. cui dicere possit quod Populus Israël ad Davidem: Ecce nos Os Tuum & Caro tua sumus (2 Sam. 5. 1.) Atque ut Deus loquendi formulam præivit, Ecce nos tui fratres sumus! (Deut. 17. 15.) quidni sperare habeat, tanquam à fratre, gravaminum levamen, libertatisque augmenta?*

(XI.) 82. *Ignavia, omnium hac in Gente confusionum scaturigini, facile invenerit remedium Sapiens Salomon, qui cum potestate prævit: constituendo per Leges publicas, acrimamque inquisitionem & executionem, ut nihil usquam tolleretur otiosum, ad labores adigatur quicquid vivit: ut unaquæque Domus, Pagus, Oppidum, Terra tota, nihil posthac sit nisi Formicarum respublica (parvis & magnis, viris & fæminis, nobilibus*

Speculo exhibita. 47

bus & ignobilibus) quotidie circa omnia honesta occupatis (Prov. 6. 6. &c.)

83. *Nec tantum negotiis Agriculturae aut Vini culturae, exerceant se nostrates homines omnes: etiam Artificiis omnis generis, & Mercatura &c. ut per omnia excolantur Ingenia, & ingeniorum vi cætera omnia, ad conciliandum nitorem omnibus apud nos, quæ nunc squalent, Aedificiis, Vestibus, omnibusque Vitæ ornamentis.*

84. *Unde immediate sequetur omnium honorum felix proventus, ad abundantiam usque.*

85. *Nec libebit hominibus melius ad omnia informatis, & vitam modis honestis tutisque sustentare gnaris, ad fædas illas, turpes, vitæ animæque periculosas, furandi aut latrocinandi deflectere artes: & si quid sordium ejusmodi superfuerit, vigilans ubique magistratum oculus invale-*

(XII.)

(XIII.)

(XIV.)

vale-

valescere illa non permittet. Ita habitabitur tutò, unoquoque possessionum suarum domi forisque securo.

(XV.)

85. Occupatis verò adultis omnibus circa Vitæ negotia, & Iuventute omni circa literarum, morum, pietatisque studia (constitutis rectè Scholis ubique, cujus rei modus facilis & amœnus ad manum est) efflorescet sapientiæ quoque laude Gens hæc, tota rerum facie in melius mutatâ. Ingeniosè enim & verè Poëta, Didicisse fideliter artes emollit mores, nec sinit esse feros. Fideliter inquit, hoc est diligenter, ac à fundamento. Quod quia tentatum non est hætenùs, quid mirum si Scythica feritas nondum per omnia recessit hætenùs? Tentemus autem fideliter, mollescere sentiemus omnia.

(XVI.)

87. Religio tandem, ab Idolomania, superstitione, hypocrisi, profanitate, neglectu item & jejunitate, repur-

purgata fideliter, faciet Numen cœleste ubique corde puro coli: habitabitque nobiscum gloria Dei in terra nostra. Misericordia & Veritas obviabunt sibi, Iustitia & Pax osculabuntur sese. Fides de terra germinabit, & Iustitia è cœlo prospectabit. Etenim Dominus dabit benignitatem, &c. (Psal. 85. 10. &c.)

88. Tum si quid humanâ infirmitate posthâc etiam errabitur, non deerit tam in obsequia sua pronis æternus ille hominum Amator, quin subveniat, moneat, doceat, errores nostros emendet, semperque nos ad majorem promoveat perfectionem, coronando in nobis opus suum.

89. Eò deductis rebus, quid nobis beatius? quæ Genti nostræ felicitas major vel sperari, vel optari poterit? Erimus enim inter Populos sapientes & intelligentes, Gentisque magnas & Nationes grandes, quibus propinquus est Deus. (Deut. 4. 6, 7.)

90. Cujus felicitatis desiderium si nobis est serium, videndum erit ne vota maneant vota, sed eant in effecta.

Exhortatio ad proximum in circa

Felicitatem procurandam.

Id quod fieri non poterit, nisi I. *Scopo glorioso benè præfixo.* II. *Mediis ad scopum deducere potentibus circumspèctis.* III. *Modòque insuper Mediis datis sic utendi, ut à scopo aberrari non possit, accuratè observato.*

I. *Scopus quomodo rectè (ante omnia) fingendus.*

91. *Scopus* si erit quem ostendimus, suis limitibus tam pulchrè circumscripta *Gentis Felicitas*, gloriosus omninò erit, *Deo, Ecclesiæ, Patriæ.* *DEO*; cujus bonitas tam illustri modo super nos expansa agnosceatur ab omnibus celebranda in generationibus futuris: *ECCLESIAE*; quæ sic in Terra nostra Paradisi instar efflorescere, atq; ut pulcherrimè exculta Vineam Domini propaggines suas in vicinarum quoque Gentium salutem explicare, poterit. *PATRIÆ*; cui sic demum per omnia esse benè poterit, Politicè etiam. Hic ergò *scopus* immotè fixus sit, ut ne quid aliud ullis molitionibus quærat. *DEO*; cujus bonitas tam illustri modo super nos expansa agnosceatur ab omnibus celebranda in generationibus futuris: *ECCLESIAE*; quæ sic in Terra nostra Paradisi instar efflorescere, atq; ut pulcherrimè exculta Vineam Domini propaggines suas in vicinarum quoque Gentium salutem explicare, poterit. *PATRIÆ*; cui sic demum per omnia esse benè poterit, Politicè etiam. Hic ergò *scopus* immotè fixus sit, ut ne quid aliud ullis molitionibus quærat.

II. *Media disponenda. Nempe.*

92. *Media*, sine quibus hunc attingere finem impossibile fuerit, sunt

sunt *DEUS*; & Nos ipsi, cooperaturi Deo; tandèmqve *Alii & Alia*, in auxilium advocanda.

93. Sine Deo, sicut in privatis ^{(1) DEUS,} suis rebus nihil potest homo ullus, ^{impetratusque illius favor.} ita multò minùs in publicis: præsertim tam publicis, Regna & Gentes concernentibus. *Domini enim est Terra, & plenitudo ejus: Orbis Terrarum, & universi qui habitant in eo* (Psal. 24. 1.) *Ipse fecit nos, & non ipsi nos* (Psal. 100.) *Sicut lutum in manibus figuli, ita Gentes in manu ejus* (Jer. 18. 6.) *Lutum autem fingere seipsum non potest* (Jes. 45. 9.) *sed Figulus ad faciendum inde vas, aliud ad decus, aliud ad dedecus* (Rom. 9. 21.) *Dominus est qui dissipat consilia Gentium, irritasque facit cogitationes Populorum: consilia verò ejus manent, &c.* (Psal. 33. 10, 11.) Ergò nisi dissipari nostris cum consiliis volumus: videndum est ut consilia nostra non sint nostra, sed *DEI*; in effectum deducenda non vi nostrâ, sed virtute Dei.

94. Sed enim quia quod ordinariè ^{(2) NOS ipsi, per pro-}

priam in-
Austriam.

52 GENTIS FELICITAS
riè agit Deus, per ordinaria agit
media: in his autem ordinariis me-
diis, per quæ Deus suas creaturas
regit, sustentat, tuetur; (quia *Natu-
ram filiam suam cooperari sibi vult Na-
tura parens*): etiam Nos regere vult
non sine nobis; & consilia bona in-
stillare nobis non sine consiliis no-
stris; & vires nostras juvare ad opus
suum exsertas, non ab opere suo re-
tractas. Quod ita esse ut certi simus
(interest enim) insistendum est co-
gitationibus hisce paululum.

95. Omnes dixi *Creaturas à Crea-
tore sustentari, juvari, regi, non sine ipsis,
sed cooperantibus ipsis*. Quod tam esse
verum, ut nihil verius, ostendunt
exempla.

96. Aves cœli à Deo pasci testa-
tur Salvator, (Matth. 6. 26.) Et ta-
men easdem certis locis nidificare,
indeq; evolantes pastum sibi quæ-
rere, certum est. Homines in utero
Matris formari à Deo, indeq; ex-
trahi, testatur David: & tamen spi-
ritum ipsum vivi foetus corpuscu-
lum

Speculo exhibita.

53

lum suum sibi formare, formatum-
que ad exitum propellere, usque
adeò indubium est, ut nisi vivus &
vegetus foetus seipsum juvet, in ipso
partu illi pereundem sit. Orare Pa-
trem cœlestem jussit Christus pa-
nem quotidianum: & tamen hunc
in sudore vultus quæri vult, labo-
rantibusque demum benedicit. Et
quod majus ipsam æternam salutem
(quæ neque volentis neque curren-
tis est, sed miserantis DEI) operari
nos jubet cum timore & tremore.
Unde Apostoli se, & Verbi Mini-
stros, *Cooperatores Dei* vocant. Sit er-
gò extra dubium, *Opera in nobis Dei
requirere cooperationem nostram, & à
providentia Divina non excludi pruden-
tiam humanam, includi ei potius, & subor-
dinari, in omni etiam Reformatione sui.*

97. Neque minus certum, velle
Deum Alios ab Aliis in bono juva-
ri: & quisquis sanctos fines inten-
dendo deficere sese animadvertit,
aliunde supplementa, sive Poten-
tiæ, sive Scientiæ, sive Voluntatis,

(3) Alii,
cum auxi-
liis suis.

C 3

quæ-

quæri. Nempe si ad aliquid efficiendum defunt vires, ut quærat à potentiore auxilium: si efficiendi ratio, à sapientiore aliquo consilium: si agendi impetus, ab aliquo fervidior Exhortatio. Plena de his testimoniorum sunt omnes Divinæ Scripturæ, & omnes humani Libri, totaque ubique rerum praxis.

98. Ita habemus *Media*, fines quoscunq; gloriosos persequendi & assequendi, *DEUM, INDUSTRIAM, AUXILIA*: inter quæ postrema *Occasio* etiam numerari debet, quæ vel sola, quoties se commodè offert, hominesque illâ uti sciunt, ad mira & insperata sufficere putatur.

III. *Modus mediis utendi necessarius.* 99. Jam quia certum est, *Media* quoque esse posse frustra, adeoque ipsas *Occasiones*, nisi quis uti sciat, velit, possit: *Agendi etiam modos considerari oportet, si effectum optamus certum.* Nempe ad quid *Vires* ignavo, nullibi nervos intendere sive? ad quid *Opes* avaro, ad nihil bonum eas impendere gnaro? ad quid stolido

li do consilium bonum, illud non animadvertenti? ad quid obstinato stimuli, ad non movendum indurato? ad quid denique *Occasiones* omnes bonæ, eas arripere incurioso? *Nihil prorsus ipsa Potentia potenti, Sapientia sapienti, Voluntas volenti, prodest, si potentiâ, sapientiâ, voluntate suâ scitè uti nesciat.*

100. Plus dicam, & verè dicam, *DEUS* non prodest suâ sapientiâ, consiliis, auxiliis, Deo, uti nescientibus. Hinc illud: *Ego volui, Vos nolulistis.* Item: *Dilata os tuum, & implebo illud! sed non auscultavit Populus voci meæ, Israël non acquievit mihi. Quapropter reliqui eos in desideriis suis: abeant cum pravis consiliis suis. O si auscultasset mihi Populus meus! humiliassem inimicos eorum, &c.* (Ps. 81.) Et talia sexcenta; Deum esse talem cuiq; qualis ipse sibi quisque (bonus aut noxius, integer aut perversus, (Psal. 18. 26.) testificantia.

101. Eja igitur videamus, *Quomodo* utendum sit Deo, & propriâ *Industriâ*, alienisque *Auxiliis*.

Quomodo ergo utendum?

(1) DEO, 102. DEO utendum est, *Invocanter, Fidenter, Cooperanter*: juxta regulam Christi: *Petite, & dabitur Vobis; Quærite, & invenietis; Pulsate, & aperietur Vobis* (Matth. 7. 7.) Petendum enim est à Deo auxilium, Oratione; quærendum, instanti Fiduciâ; pulsandum, Opere. Nempe quia *Propè est Dominus omnibus invocantibus Eum; omnibus invocantibus Eum in Veritate. Voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum audit, & SALVOS FACIET eos* (Psal. 145. 19, 20.) Iterum: *Confide in Domino, & fac bonum: Oblectare in Domino, & dabit tibi petitiones Cordis tui. Devolve super Dominum viam tuam, & confide in eo: IPSE FACIET.* (Psal. 33. 3.) &c. Et; *Tantummodò confirmare, & fortis esto, ut facias quæcumque præcipit Dominus* (Jos. 1. 7.) Item, *Si fideliter feceris quæcumque mando, venient super te omnes benedictiones, &c.* (Deut. 28. 1. &c.)

(2) NOBIS ipsis. 103. Nobis ipsis, & propriâ industriâ, uti debemus. 1. Prudenter. 2. Fortiter. 3. Constante, ad obtentum usque finem.

104.

104. Prudenter; ut ne ipsi confundamus nos & negotia nostra, male utendo mediis. Quod ut ne fiat, triplex cautela faciet. Nempe (1) *Ut Media fini accommodentur accurate.* (2) *Et quidem non demum in praxi seu opere, sed prius: ut antequam opus incipias, tota consiliorum machina parata sit infallibiliter.* (3) *Et quidem tacitè, ut consilia ne emanent ante peractum opus.*

105, *Exactè accommodantur Media Fini: primò Totum negotium quod peragendum est intendendo simul, non partem ejus duntaxat aliquam.* Quomodo Medicus valetudinem restitutus ægro, totum corpus sanare quærit, non membrum unum & alterum. Frustratio, intentionis & operis, semper est mancum quid & inutile, imò noxium: quia semper pars sincera denuò trahitur, & corrumpitur, aliquâ corruptionum relictâ parte. Deinde, quia à partibus primariis pendent secundariæ, à majoribus

C 5

mi-

(a. Prudenter. Cujus Prudentiæ partes tres.

(Prima.

NB.

58 GENTIS FELICITAS

minores : semper videndum, ut quæ bases sunt reliquorum, emendantur primò & maximè, emendatura mox secum minora. Tandem, ut medicatio semper incipiat à sublatiis corrumpentibus : quia scaturigine mali non obturatâ, rivuli nec filii neque repurgari poterunt.

(Secunda.

N. B.

106. Altera Prudentiæ pars est, Sapere ante factum, non demum in facto, aut (quod stultorum est) post factum. Hoc est non inchoare negotia majoris momenti, nisi Consiliorum machinâ sic absolutâ, ut non procedere tam non possit, atque; Horologiû rectè fabricatum, omnibus partibus absolutum, dato pondere. Laudatur apud Cornelium Nepotem *Datames Persa*, quòd quæcumque cogitasset ausus fuisset aggredi, bonò semper successu : nempe quia rectè totum negotii systema præcogitârat, à principio ad finem : per quæ media, & quomodo disposita, res agi vellet : quid item impedimentorum intervenire posset, & quomodo aut prævenien-

da

Speculo exhibita. 59

da prudenter, aut perrumpenda fortiter, forent. Atque huc parabola Christi facit de edificaturo Turrim, aut inchoaturo Bellum, non sine prævia prius deliberatione justa.

107. Tandem, Prudentiæ pars non postrema est, circa majora Rerum consilia celanda, sic, ut eorum penetrare nihil valeant hostes. Sic enim demum vim habent mirabilem ad mirabiles producendum effectus ; si quemadmodum Jupiter (Poëta teste) antè ferit quàm flamma micat, prius videat Mundus rem peractâ, quàm eam animadvertere agi.

(Tertia.

N. B.

108. Opus etiam in negotiis magnis aggrediundis animo magno & imperterritito : ut ne quis illud Salomonicum usurpans, Dicit Piger, Leo est in via, occideret in platea (Prov. 22. 13.) pusillanimitate suâ, & cunctationibus, excellentissimarum rerum occasiones amittat, intempestivòque metu se & alios rebus eximiis privet.

(b Fortiter.

109. Constantiâ denique opus : ut ne quis ab inchoato opere resiliens,

(c. Constant.

C 6

aut

aut in medio cursu deficiens, non solum palmâ excidat, sibiqve attrahat dedecus, sed & novis, se & alios, impleat ruinis.

(3) *Alio-
nis AUKI-
LIIS.*

110. Sed & videndum, *alienis Auxiliis* (Viris aut viribus) *quomodo scitè sit utendum.* Summa Prudentiæ hîc est: quia auxilia inferunt multitudinem, multitudo verò confusio- nem, nisi multitudo reducatur ad u- nitatē, (Virtus enim unita fortior): *Auxilia illa externa, aut venient tan- quam principale agens, nobis prostratis erigendis; aut venient tanquam secunda- rium agens, nobis ipsis negotii molem pri- mariò sustinentibus, roborandis solum.*

N.B.

111. Si prius, videndum est *an Auxiliator ille, vel Auxiliatores illi, fi- di futuri sint?* paratiores fortè (no- stris è ruinis sua quærendo lucra) ad nos potiùs opprimendum, quàm jugò aut metu eximendum. *Qua in re magnâ circumspectione opus est.*

N.B.

112. Si posterius (quod semper præoptandum, ut nos rerum no- strarum arbitri simus, non alieni)

vi-

videndum item est, *quomodo pruden- ter auxilia quæcunqve socianda sint, ut ne quid inde noxa rebus nostris veniat, intentionibus potiùs nostris, sive id Au- xiliatores nostri intelligant, sive non, seruiat.* Quod omnium circumstan- tiarum prudens expensio ostendet.

113. *Atqve hæc sunt sic in genere, ac velut in idea, de legibus Prudentiæ circa Rerum negotia observandis, dicta.* Jam si applicationem in hoc expendi cæpto negotio (reducendâ scili- cet Genti H. felicitate suâ) fieri placet, paucis poterit apud sa- pientes.

Quomodo res agenda apud Hun- garos in specie.

114. Scopus illustris fixus est § 90 locò non movendus. Ille potiùs moveat animos Heroum, si qui sunt; aut Herois, qui superest, non deserendi tam gloriosas rerum oc- casiones. *Adsunt enim, ecce adsunt, qualium non tot retrò seculis exem- pla reperire erit: quas si patiuntur manibus elabi, quando tales reditu- ras sperabunt? Perituri forsàn cum tota progenie sua, priùs quàm visuri similes.*

Ubi nec scopus illu- stris deest, nec media: quod osten- ditur.

N. B.

115. Ecce enim DEUS ipse in Opere est perdendi hostes Ecclesiæ! utiturque pro instrumento Gentibus in arma concitatis, ut exsequantur antiqua contra Babylonem decreta Dei. Adeoq; vocat in Operis societatem hanc ipsam Gentem, tot calamitatibus, tot occasionibus, tot extraordinariis quoque incitamentis: ut si accedere huic operi voluerit, quemcunque huc vocat Deus, non sua se sequuturum, sed Dei exequuturum, consilia, tuto confidere, eoque non à se (quod lubricum esset) sed ab Omnipotente, consiliorum prosperitatem expectare habeat.

116. Si obsequi deserimus, quid deserimus? Nosmet ipsos, Patriam, Ecclesiam, totamque posteritatem nostram. Atqui est naturale omni Creaturæ, non deesse sibi, non occasiones conservandi sui negligere, non cum vitæ etiam periculo vitæ interitum declinare (*Pericula quippe sine periculo nunquam superantur.*) Nos ergo infra omnes creaturas erimus? tam per omnia nostri & posteritatis incuriosi?

117. Offerunt & extranei consilia & auxilia sua, à tot jam annis: & constanter ea aspernabimur? Si propioribus quoque opus, & firmioribus auxiliis, impetratu facillima sunt: & nihil verò hoc etiam movebit?

118 Sed

118. Sed & domestici nostri, perire se sensim videntes, gemunt, suspirant, oculosq; num *Vindex* aliquis (aut ut Scriptura loquitur, *Salvator*. (Jud. 3. 9.) exsurgat circumferunt: parati procul dubio suos jungere, ad juvandum commune liberationis suæ Opus, lacertos. Et horum etiam nihil movebunt lacrymæ, gemitus, extensæque manus? Cavendum, ah cavendum, ne omnis perniciæ tam securi, perniciem nobis attrahamus inevitabilem tandem.

119. *Fata namque revera mutationem in melius, ut aliis Gentibus, ita huic, parturiunt: si non defuerit hic etiam fidelis obstetricatio.* Nempe, sicut ex ruina Gentis Judaicæ, rebellis DEO, nata est salus Gentibus, Christianismus: & ex ruinis Romani Imperii, Bestiæ illius septicipitis belligerantis cum Agno, enata sunt tot Regna, arripiente unoquoque prout industrius erat, portionem suam: ita ex ruina Bestiam iniquitantis Meretricis, renasci debent omnia Mundi Regna ad Christianismum verum; seipsos autem ditandum spoliis magnæ Babylonis, uti prædicitur, Apoc. 17. 16.

120. Opus igitur est hæc etiam in Gente aliquo, qui talia parturientibus Fatis opitulatricem adhibere manum velit, possit, sciat: accepturus promissa divi-

Heroico capite opus: & quali.

divinitus præmia. *Qui Velit* dico; per fervidè pium zelum, quò in gloriam Dei, salutem Ecclesiæ, honorem Patriæ, felicitatèmqve per omnia Gentis suæ, exardescat. *Possit*: per vires sibi abundè suppetentes; aut per statum, è quo haud difficulter auxilia parare possit sufficientia. *Sciat*: sapiens existens, consiliorumqve bonorum (sive à se, sive aliunde venientium) prudenter exsequendorum gnarus.

121. Oportet inquam omninò aliquem esse, qui referat *Mosen, Iosue, Gedeonem, Iephthem, Davidem, Iosiam, Iudam Machabæum, Constantinum, Carolumque Magnum*; & similes Viros divinitus excitatos, spiritu heroico donatos, Deo & publico bono consecratos, organa in Dei manu versatilia, Armigerosqve Dei, &c.

122. *Unum esse oportere dico, propter consiliorum & virium coadunationem, atque ut omnis confusionis periculum evitari possit.* Nec unquam legimus aliter Deum salutare rerum mutationes, nisi per eventum unum aliquem in caput Gentis, aut Gentium, induxisse. Legatur liber Judicum, totusqve sacer Codex, & omnes Historiæ, non aliter apparebit. Etiam Romani, licet res suas communi Consulum, Senatûs, Populique consiliis rege-

regerent; in desperatis tamen casibus ad unum, *Dictatorem*, rei summani referre necesse habuerunt: nec unquam alio quàm optato successu.

123. Et quidem *necesse est hunc unum perditæ salutis Reparatorem ex ea ipsa Gente, cui opitulatum itur, peti*: extraneo res hæc nunquam tutò, & sine novæ oppressionis metu, committitur. Judæis quidem, à Chaldaica Monarchia penitus attritis, *Liberatorem DEUS* aliunde excitaverat, *Cyrum Persam*; qui Babylone contractâ Populo Libertatem restituit. Nec tamen illi sub Persarum & Græcorum imperio unquam sine pressuris erant, nisi postquam è medio illorum heroas excitasset Deus, Machabæos.

124. Huic ergò etiam Genti, si ad optatæ felicitatis culmen evehenda est, talis aliquis *Moses, Iosua, Gedeon, David, &c.* à Deo optandus, votis & suffragiis designandus, atque si talem offert Deus, ut Salutis portus prospectandus est. Is verò qui eò se à Deo & hominibus vocari sentiat, tam obsequiosum se Deo, & devotum saluti suorum, exhibere debet, quàm illi ipsi jam memorati, & alii aliarum Gentium Salvatores, rerumque collapsarum Reparatores, magnanimi, sapientes, felices fuerunt.

125. *Quem autem hac è Gente salutis*

An Capitulum id genus suo

Hungaris
spes?

suorum Fata destinant, in evidenti esse puto. Aut si fortè nondum satis, orandus erit Deus, ut quem elegerit ostendat, cor illius tangat, & mutet in Virum alium, Virum secundum cor suum. Nolite enim Deum destruere Gentem hanc, sed restaurare ad beneplacitum sibi, signa adsunt certa: quum adhucdum quærat Virum qui obducatur sepem, & stet in irruptione coram Domino pro terra hac, ne dissipet eam. (Ezech. 22. 30.)

Exhortatio
ad illum.

126. Quis autem ille erit, si non Tu GEORGI RACOCI, Cellissime Transylvaniae Princeps? Tu unus, Tu solus, Tu ultimus, ultima Tuorum spes! Tuæ inquam Domûs, Tuæ Terræ, Tuæ Gentis; solus unus Anchora sacra. Audis DEUM quærere Virum, qui sepem interponat pro Terra hac coram Domino? Ah patere Te inveniri! Ne, si nec Te reperiat nec alium, effundat (quod minatur ibid. vers. 31.) indignationem suam super Vos, & in igne iræ suæ consumat Vos.

127. Sepem autem quam oppones iræ Dei? nisi quam Moses, ut à suo populo iram averteret Dei, opposuit? (Ps. 106. 23.) Sepem inquam precum: tum ipse orans coram Domino, ut fecit Moses (Exod. 32. 11.) & David (2 Sam. 24. 17.) & Josaphat (2 Chron. 20. 6.) tum ordinando per Regnum Tuum pre-

precationes & jejunia (ut fecit Josaphat 2 Chron. 20. 3. & Josias, Jer. 36. 9. & Esdras 8. 21. &c.) mandandoque Tuis omnibus poenitentiam & Vitæ emendationem: ut Rex Ninivæ, Jonæ 3. 8. Tandem, dando Te Tuis ducem adversus omnes Tuos, Tuorumque & Dei, hostes: ut Moses fecit, ut Josua, ut Gedeon, aliique heroes sancti.

128. Liceat mihi Te electe Dei, iis compellare verbis, quibus Samuel Propheta ostensum sibi à Deo futurum populi sui Regem, Saulem, alloquutus legitur; *Erga quem est totum desiderium Israël? nonne erga Te & Domum Patriæ Tui?* (1 Sam. 9. 20.) En Israël Tuus, tota Gens Tua, trepidat à Turcis, gemit à Jebusitis! clamant oppressi Antichristiano jugo vicini etiam, ut sibi Deus mittat Salvatorem. Non audis? non Te suspiriis & lacrymis hisce peti credis? O aperiat DEUS aures Tuas, & cor Tuum, ut audias! O absit omen rejecti, propter inobedientiam, tandem Saulis!

129. Esto potius, electe Tu & dilecte, Deo Tuo, & populo Tuo, Moses! excusans quidem sese, & tergiversans, tandem tamen obsequens. Esto Gedeon: foris hostiles barbaros Exercitus, domi Idololatrarum furores, extimescens, & in robore Dei tamen prodiens, & utrosque

68 GENTIS FELICITAS

que conterens ! Esto *Iephte* ille magnanimus, Ammonitasque populi Dei vastatores, ut & fratres murmuratores Ephraimitas, Virtute quâ Te induit Altissimus, humilia ! Esto *David* ille, Vir secundum cor Dei, blasphemantium Dei castra Goliathorum strator, aliorumque pariter omnium Populi Dei hostium undique domitor ! Esto *Salomon*, auri Sapientiae inter Tuos cumulator, Templique Dei vivi, Ecclesiae, gloriosus structor. Esto *Iosias*, cultus Divini reparator, Idolorum verò & Idololatrarum everfor. Esto *Constantinus Magnus*, Liciniorum, Maxentiorum, aliorumque Tyrannorum profligator, perque id pacis in Orbe Tuo reparator. Esto *Carolus ille Magnus*, subjugatis Gentibus poenae loco Christum & caelum offerens, Tempia & Scholas aedificans, nullius rei nisi malae destructor, bonarum omnium restaurator.

130. *Hæc ecce sunt pulchra & heroica, quæ à Te uno solo, Vestra in Gente, expectari possunt, modò DEO & TIBI placeat. Quippe penes Te unum omnia huc requisita media, aut adsunt jam, aut adesse possunt. Soli quoque Tibi tot subministrantur occasiones, quot hac in Gente nulli alii. Et denique solum Te divina humanaque petunt suffragia.*

131. U:

Speculo exhibita. 69

131. *Ut nihil restet, nisi tria hæc sequentia. Primum, ut securam reddas conscientiam Tuam, causam ad quam suscipiendam invitari, Dei esse causam: cui succumbere etiam pulchrum sit, si Ecclesiae Dei tam afflictæ, & misericordiam Dei certò liberandæ, opem ferri nondum manu nostrâ velit DEUS.*

Quid illi
jam agendum.

1.

132. *Deinde, ut consideres num forte hostilis furor jam deservierit, mensuramque expleverit suam. Id enim si est, felix erit Medicus in declinantem incidens morbum: facileque erit contere hostes Dei, quos jam deseruit, & in manus Ultorum jam tradit, DEUS.*

2.

133. *Tandem videndum, An ad hoc opus Vocatio, quæ ut immediate divina offertur, verè talis sit? Si enim est, tam confidenter eam sequi, Deoque opus suum operanti cooperari, licebit, ut à Mose, Josua, Gedeone, Davide, aliisque sanctis monstrorum domitoribus, & Ecclesiae Liberatoribus, factitatum fuisse videmus.*

3.

134. *Suscepto verò, circa tria illa Examine severo, apparebit fulgidam per lucem; tùm nihil sanctius agi posse atque opus hoc; tùm Babylonem complevisse omnes mensuras suas, ut nihil restet nisi spectare justis Dei ultiones, beatosque fore qui filiae Babylonis retribuent retributio-*

butio-

butionem suam (Psal. 137. 10.) tùm denique vocationem huc Tuæ nominatim personæ Dei, non esse illusionem aut nebulam, sed realissimum opus, coronandum in Orbis theatro felicissimorum successuum corona: quia DEUS opus manuum suarum non deserit (Psal. 138. 8.)

Et quæ
prudentiâ.

1.
2.

135. Tantummodò prudentiâ circa omnia hæc opus est; ut (1) propositum Tuum ne aberret ab intentione Dei (2) & media ne elizantur alia, quàm quæ tantis finibus assequendis adæquatè respondeant, commendenturque à providentia Dei; (3) utque tota consiliorum machina Horologii instar disponatur, antequam exsequutio incipiat, quò deinde nihil aberret (si potest; aut si remedium quoque prævisum sit): (4) & ut prædispositio hæc summo fiat silentio (5) & denique Exsequutio non aliunde incipiat quàm à removendis corrumpentibus; hoc est, ab elapidata Vineâ Dei (Jes. 5. 2.) & ab extirpatis spinis, priusquam novelletur novale (Jerem 4. 4.)

4.
5.

136. Quàm alta sunt ad quæ Te vocat DEUS Serenissime Princeps! & quàm certis viis! Archimedes, Mechanicorum princeps, invento mirabili illo moles quascunque loco movendi instrumento, quod Pantokrátora (omnia potentem) appellârunt, ausus est celebratum illud

jaçta-

jaçtare; Da mihi ubi stem, & Terram movebo. Nimum quidem illud ab homine, verè tamen suo sensu dictum! At ego DEUM oro, ut Te hoc in negotio, ad quod vocaris, jubeat esse Archimedes! cui in manum det omnipotentia suæ instrumenta, Media sufficientia! detque ut pedem consiliorum Tuorum immotè figas! eaque virtute non Terram quidem Tuam locò moveas, sed ex illa Ruditatem, Barbariem, Profanitatem, Idololatriam, omnesque DEI & Tuos, Tuorumque hostes emoveas! sive tanquam lapides è Vineâ DEI ejiciendo, sive tanquam lutum proculcando.

137. Sume itaque Tibi cor Davidicum, dilecte David! ut facias omnem voluntatem Dei, præbens Te Omnipotentia & misericordia organon, in protegendis afflictis; justitiæ autem in extirpandis malis de Terra. Fac Tibi solum, perpetuò tibi usurpandum illud ejusdem; Ecce venio, ut faciam voluntatem Tuam Deus mi! (Psal. 40. 8.)

138. Atque ut totus Davidis spiritus transeat in Te, lege, canta, ora quotidie Psalmos Davidis: in primis Psal. 18. 28 ad finem. Et Psal 44. 9, &c. Et 60, totum: & 75. & 101. & alios. Nos autem alii fideles Exercitum Tuum antecedentes (uti factum 2 Chronic. 20.) celebra-

Ultimum
consilium.

72 GENTIS FELICITAS

lebrabimus Jehovam, devocabimúsque
Coelo auxilia Tibi, cantantes Psal.
20. & 21. & similes.

Spes.

139. Dominus Tecum sit, Virorum for-
tissime! dixit ad Gedeonem Angelus,
(Judic. 6. 12.) Vade in hac fortitudine
Tua, & liberabis Israel de manu Madi-
an! dixit idem ad tergiversantem (vers.
14.) Ego ero tecum, & percuties Madian
ut Virum unum! perrexit idem ad ex-
cusationes texere pergentem (vs. 16.)
Destruere primùm Aram Baalis, & succide
lucum ejus: dixit idem ad obsequia jam
promittentem (vs. 25.) Fecit igitur Ge-
deon, opúsque reformandi cultus DEI
& liberandæ ab oppressoribus Patriæ,
perexit feliciter in Virtute Dei (cap. 6,
& 7, & 8.)

✶ Votum.

140. Manda (hodieque) DEUS Vir-
tuti Tuæ! Confirma quod operatus es in
nobis! Dissipa Gentes quæ bella volunt! Mi-
rabilis DEUS in sanctis suis! DEUS I-
sraël dabit virtutem & fortitudinem ple-
bi suæ: Benedictus DEUS. (Psal. 86. v.
29, 32, 36.)